& nos, qui postremâ pene ætate nati esse videmur, sic obtemperamus tamen, tanquam si auspices ipsi condendi primum imperii fuissemus. Satis scilicet est, in Rempublicam jam rite formatam nos esse ingressos; satis, hanc, post elapsa licet spatia sæculorum, iisdem, cum quibus orta est, moribus, iisdem legibus, & eorundem successione magistratuum regi, ut sit hodie istorum non minor quam olim fuit, & testandi authoritas, & judicandi potestas. — Neque item necesse est, nos aut Regem ipsum, aut sedem regni, aut consessum primi, interiorisve senatus aliquando vidisse. Videmus eos, qui proxime ad nos mittuntur testes arbitrique legum; & hi cum non suo, sed Reipublicæ nomine loquantur; perinde, ut Rempublicam ipsam, eos audimus: maxime, cum, si prævaricationis convinci possent, semper ad fontem ipsum provocatio foret & accessus liber.

§. IV.

Hæc itaque forma, hæc ratio est omnium humanarum societatum; hunc in modum nascuntur, sic adolescunt, sic diffunduntur per longissima non raro spatia haud minus temporum, quam regionum. Quodsi hâc

igi-

igitur viâ Deus O. M. consulere temporariæ nostræ felicitati, regnorumque amplitudini ac diuturnitati voluit; an putabimus, in regno cælorum, quod est Ecclesia, constituendo, firmandoque viam aliam iniisse?

Sic itaque primo tenendum, quidquid Religio christiana à nobis exigit supra id, quod solo ductu naturæ præcepimus, id omne ad viam *testimonii* revocari. Certe de Christo ipso authore consummatoreque fidei nostræ ita æternus Pater apud Prophetam: *Testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem in gentibus.* Et Joannes in Apocalypsi: *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum.* Idemque: *Deum nemo vidit unquam, sed unigenitus, qui est in sinu patris, ipse nobis enarravit.* Tum Christus ipse de se, *omnia*, inquit, *quæ accepi à Patre, nota feci vobis.* Ac de Spiritu sancto, quem missurus erat: *Ille testimonium perhibebit de me, quia de meo accipiet, & quæcunque audiet, loquetur.* Quam autem Apostolis provinciam demandârit, luculenta sunt, quæ demonstrent. Ac fuerant illi quidem magistro hactenus usi familiarissime: sed *testes publicos* tum primum renuntiavit,

& *authoritate* instruxit, cum Spiritu sancto adspirato his eos verbis allocutus est: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Euntes ergo docete omnes gentes.* Et iterum: *accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & in Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Quocirca cum in locum Judæ adsciscendus alius esset Evangelii præco, Petrus in hanc sententiam cæteros alloquitur: *Oportet ergo ex his, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à baptismate Joannis, usque in diem, quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Fuerant sane Barsabbas & Matthias ex iis, qui Dominum toto isto tempore oculis viderant, docentem audiverant, & quibus nihil omnino deerat, quo minus testes esse irrefragabiles, si privatum fuisset negotium, rerum omnium à se visarum, auditarumque potuissent. Sed enim de *teste publico* agebatur, de viro, & quidem de uno tantum (nam nonnisi XIIviralem senatum ab initio Christus elegerat) qui ab ipsomet Domino in *sortem*

hu-

hujus *ministerii* & Apostolatûs adlectus pari cum Apostolis reliquis *authoritate testificari* evangelium posset. Hunc igitur virum, quoniam Dei erat nomine testaturus, ab ipso etiam Deo nominari oportuit: *Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nósti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & Apostolatûs.*

De hujus *authoritate testificationis publicæ*, quam & prodigiorum multitudo, & divini Spiritûs totis fluminibus effundens se virtus (ut illud Prophetæ hic non obliviscamur) irrefragabilem præstabat, insignis plane est locus in secundâ D. Petri Epistolâ, ubi certitudinem doctrinæ suæ ex magisterio Christi demonstrans: *non enim*, inquit, *doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Dei nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* — Et quem Joannis non

ista dulcissimo quodam sensu perfundant; *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis.*

Atque hæc sane ratio fuit, cur Apostoli familiarius fere nihil habuerint, quam ut ministros adpellarent se divinitus accepti sermonis, doctrinam vero hunc in modum acceptam velut sacrum quoddam *depositum*, cujus ad se cura, tutelæque religio spectaret, intuerentur. Neque vero sic erant hi instituti, ut intermori hanc secum provinciam posse putarent: Sciebant saluti omnium gentium, omnium sæculorum se laborare: id quod, ut alia omnia deessent, vel sola illa fortitudo eorum incredibilis in quibusvis calamitatibus, ærumnis, periculis perferendis demonstrat, cum inaudito quodam æstu animorum, contentioneque, cujus similem nemo hactenus viderat, conjuncta. In hoc enim genere quis tanto sumptu, tamque moræ velut impatiens ædificat, quod perpetuum esse non vult? Cum itaque Ecclesiam Regnum esse ex divino consilio non interiturum scirent; id certe primum

ex

ex institutione Christi, & Spiritûs sancti magisterio dabant operam, ut successores vocarent ejusdem *custodes* sacri *depositi*, *testesque* perinde publicos futuros rerum tam credendarum, quam agendarum, atque ipsi fuerant. Creârunt autem non sine solennibus, pactisque à Deo ritibus: Id enim Pauli initiantis Timotheum docemur exemplo, quem semel atque iterum hortatur, gratiam ne negligat, gratiam ut resuscitet per *impositionem manuum* acceptam; tum unà verbis gravissimis ad curam *depositi* impellit: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Noli erubescere testimonium Domini nostri, formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum S., qui habitat in nobis.* Ad posteros autem nequæ corruptio permeare divinæ hujus, illibatæque doctrinæ posset, mirum, quâ sollicitudine egerit Apostolus. *Quæ audisti à me*, inquit, *per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere. Vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple: Ego enim jam delibor, &*

tem-

tempus resolutionis meæ instat. In Episcopis vero optandis, consecrandisque tam sunt multa, quæ caveri vult, ut pene non homines, sed angelos requisisse videatur. Illud inter cætera præscribit, ut non alius eligatur, quam *amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos, qui contradicunt, arguere:* tum universe ad Timotheum: *manus*, inquit, *cito nemini imposueris.* Tam est solerter posteritati scilicet, id est, Ecclesiæ, quæ duratura ad finem usque sæculorum erat, servitum!

§. V.

Atque hæc hactenus disputata, pro concessis, ut sane sunt, nostro jure hic sumimus. Sunt autem velut filum quoddam quo ad causam, quam agimus, non tam ducimur, quam labimur, ac pene ruimus. Age, homo detur non affecti, sed integri animi, & qui habitare tantisper secum ipso didicerit: jubebimus hunc convertere oculos, quocumque voluerit, orientem, occidentemve versus; replicare etiam memoriam elapsorum temporum, & cogitando per spatia sæculorum pene octo, ac

decem